

V 9
56 96





189. 12

2. D. B. V.

Vg
3696

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
&c. &c. &c.
SVCCINCTVM

DE

MARTINO
LVTHERO

SPECIMEN

PRAESIDE

M. GODOFREDO VICTORE
MOEHRINGIO,

Serv. Anhalt.

Coll. Philos. Adi.

IN ACAD. VITEMBERG.

AVDITORIO MAIORI

Ad d. XIII. Septembr. MDCCIV.

RESPONDENS

CAROLVS GVILIELMVS WEISIVS,

Lubena-Lusat.

dabit.



VITEMBERGAE IN SAX. Ex Officina Hakiana.



42



o. d. a. n.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPIS REGIO AC DOMINO,
DN. ERIDERICO AVGVSTO
SACRINCVAM
DE
MARTINO
LUTHERO

SPECIMEN
PRÆSIDI
M. GODOFREDO VICTORE
MOHRINGIO,

serv. Anhalt.
Coll. Philol. Ad.
IN ACAD. VITTEMBERG.
AUDITORIO MAIORI
Ab d. XIII. Septembris. MDCCIV.

RESPONDENS
CAROLVS GAVILHELMVS WEISIVS,
Lobena-Litae.
dabit

VITTEMBERGAE IN SAX. Ex Officina Hartmann.



SVCCINCTI
DE
MARTINO LVTHERO
SPECIMINIS INTROITVS.

Solemne prorsus eruditus fuit, sigillatim *Paulo Frebero in Virorum eruditione clarorum teatro, Io. Bismarco in vita & rebus gestis praecipuorum Theologorum, Melch. Adami in vitis Theologorum, Ictorum, Medicorum, Theoph. Spizelio in templo honoris referato, Henningo Witte in Diario Biographico, atque in memoriis Theol. renovatis, Io. Andr. Quenstedio in Dialogo de illustrium Virorum patriis, praecleara defunctorum ingenia commemorare posteris, & cum orbe erudito communicare, atque merita in Remp. & Ecclesiam summa non modo recensere, sed etiam literarum monumentis mandare. Eandem scribendi provinciam susceperunt complures alii, uti supremum digne persolverent officium Viris, quorum doctrinae & virtutes dudum immortales fuerunt, Viris, quorum laudibus nulla unquam aetas tenebras offundet, iis profecto Viris, quorum nomina ne invidia quidem delebit. Lutheri (a.) omnino fama semper integra constat, & passim explorata est: Iure igitur insignes nactus sanctitatis sine labe servatae praecones, spectataeque integritatis admiratores, Divum Anhalt. Principem,*

A 2 GEOR-

(a.) *In Acad. Vitemberg. tabulis Martinus Luder de Mansfeldt audit, quo de nonnemo:*

Lutherus Decimum confecit strage LEONEM,

De clava noli quaerere: Penna fuit.

Aliis insequens placet distichon:

Sceptrum, bulla, scholae, Regis, Papae, monachorum

Vni Luthero nil, sciata, nocent.

GEORGIVM, Pb. Melanthonem, Iustum Ionam, Io. Bugen-
 bagium, Mich. Celium, Io. Matthesium, Cyr. Spangenbergium,
 Io. Sleidanum, Mich. Beutherum de Carlstadt, P. Eberum, Io.
 Pollicarium, V. L. Seckendorffium, W. Franzium, Matth. Hoë ab
 Hoëneg, Io. C. Sagittarium, Io. Müllerum, Dav. Chytraeum,
 Matth. Dresserum, I. C. Dannbauerum, Io. Pappum, Io. Fecht-
 tium, I. Fr. Mayerum, I. H. Haeverkerum, G. C. Eilmarum, Io.
 Fr. Scharffum, I. G. Moellerum, & sic deinceps, illibatam
 Theologorum Ducis auctoritatem confirmantes. Ex his
 & similibus uti nonnulla repeterem, Lutherique post tantos
 Scriptores memoriam recolerem, obtestatio Viri docti, qui
 vires suas nunc experietur, inque studiorum profectus in-
 quiret, movebat; cui facile subscribebam, brevesque has
 lineas ducere volebam, quas B. Lectori vel hoc argumento
 magnopere commendo.

§. I.

MARTINVLVTHERVVM, Theologorum emendatae
 religionis immortaliter meritum, singuli, me interpre-
 te, lubentes confitentur. Comparat eundem Melanthonem,
 cum auriga & curru Israelis, alii cum Vrim & Thumim, ve-
 ritate, [perfectione] & doctrina. *Exod. XXIIII.30. Num. XXVII.21.*
 In squalore deplorat, atque velut in domestica calamitate
 luget coetus divini Virum innocenti vita, animique san-
 ctimonia commendatissimum, sacri muneris dignitate cla-
 rum, religionis purae constantem Vindicem, praeter cete-
 ros magnum libertatis Evangelicae Propugnatorem, eum-
 que communem ac religiosum artium sanctarum, cumque
 Deo propius coniunctarum Doctorem, qui densas Pontifi-
 catus nebulas, tenebrasque feliciter dissipavit. *Quidni ex
 animo doleamus in tanta calamitate, cum luctu Bugenbadius in
 Orat. funebri conqueratur, qua nos Dominus afflixit, ablato
 incomparabili Viro, D. Luthero? per quem nobis omnibus & uni-
 versis CHRISTI Ecclesiis, cum in Germania, tum in multis exteris
 nation-*

nationibus incredibilia gratiae suae dona largitus est, per quem
contra regnum Satanae, contra humanas traditiones in toto ter-
rarum orbe sibi victoriam acquisivit?

§. II.

Lutheri vestigiis insistentes (β) testes non advoca-
bo, qui omnes una eademque mente exquisitam morum
honestatem, singularem in scribendo fidem, desideratam
in refellendo industriam admirantur: Sed ipsos dissentien-
tes & Pontificios & Reformatos, quorum testimonia pluri-
mum valent, suisque nixa praesidiis honorificam opinio-
nem adaugent, audire aequum duco. *Martinus* scilicet
Pollichius, primus Acad. Vitemberg. A. C. MDII. ad FRIDE-
RICI sapientem voluntatem constitutus Rector, perpetuus-
que Cancellarius, *Mellerstadii*, vel *Melrichstadii* nomine,
Philosophiae dein, *Medic. & Theol.* Doctoris titulo insignis
tantam fovebat multo ante emendationis sacrorum tempus
de *Luthero* spem, uti longissime praeferret ipsius demon-
strationes *Scotistarum*, *Albertistarum*, aliorumque principiiis:
Hic Monachus, animi quondam sensa exposuit, omnes Docto-
res confundet, nova dogmata proponet, universam denique Ec-
clesiae Romanae reformabit doctrinam; scripturam enim Pro-
phetarum & Apostolorum defendit, CHRISTI que verbis insi-
stet, quam nulla *Sophistica*, nulla *Philosophia* sive *Scotistarum*,
sive *Albertistarum*, sive *Thomistarum* expugnabit & evertet. (γ.)

A 3

Paulus

(β.) *Id si agerem, deficeret me dies. Vnicum tamen, ne tacuisse*
videar, subiungam locum ex Matth. Lungviti Dissert. praef.
de Iustific. Hominis peccat. coram Deo: Vivito, excellentissime
Heros, D. Lutere, vivito Doctor angelice & evangelice, vi-
vito prudentiae domicilium, vivito sapientiae oraculum, humi-
litatis gaza; uno verbo, vivito doctrinarum omnium salutari-
um & virtutum thesaurus & splendor, vivito & ovato in
aeternum!

(γ.) *Extant passim huiusmodi vaticinationes, quibus rerum in*

Paulus Langius profundissimum eum, consummatum, incomparabilem Theologum consalutabat, Theologorum nostrae aetatis omnium facile sapientissimum atque Principem. Erasmus Rotterodamus tantam morum integritatem in eo advertebat, ut nec reperiant, quod calumnientur contradicentes. Vitackerus non diffite-

Ecclesia gestarum Scriptores utuntur. Adhibent e paginis sacris, V. C. Zach. XIV. 6. 7. Mal. IV. 6. Apoc. XIV. 6 & 7. ut adversus Romano-Catholicos, Cochlaeum, Gretserum, Tannerum comprobent, Lutheri quoque memoriam in S. L. haut obscure indicari. Ne in praesens aliquid de Io. Wiclefi, Professoris Oxoniensis, discipulis, Io. Hussò, Theol. Baccalaureo, M. Hier. Pragensi, Viris excellenti spiritu ornatis commemorem. Iste namque paulo ante mortem clara pronunciabat voce: Hodie anserem uritis, centum autem elapsis annis e cineribus meis resurget cygnus, quem assare non poteritis. Quod ipsum Lutherus agnovit: Der seel. Jo. Huz hat von mir geweissaget/ da er aus dem Gefängniß in Böhmer-Lande schrieb: Sie werden jetzt eine Gans braten/ aber über 100. Jahren werden sie einen Schwan singen hören/ den sollen sie leiden; da solls auch bey bleiben/ ob Gott will. Hic sequentia referebat, Auctore Poggio, qui supplicii executionem aderat: Post C. annos respondebitis Deo & mihi. D. Andr. Prolis verba silentio involvo. Conf. D. Chr. Matthiae Theatr. Hist. Theor. Pract. p. 1029. f. a. Io. Hiltanii verba sunt adeo manifesta, [alius quidam veniet A. D. MDXVI. qui destruet vos, nec poteritis ei resistere] quae in Apologiae capitae de votis monasticis reperiuntur, ut paucos nostrarum partium esse putem, quorum notitiam fugiant. Et, quem Principis Electoris, FRIDERICI III. Suidnicii habitum somnium praeterit, quippe quod cum Serenis. Fratris, IOANNE communicavit? vid. D. Matth. Theatr. Hist. p. 1006. & 1007. D. Hier. Kromayeri Scrut. Relig. Disp. XIII. p. 312. D. Abrab. Calovii Disf. de Luthero ante Lutherum, Qu. III. D. Mayeri Luth. Apocabypt.

diffitebatur, fuisse Lutherum egregium hominem, constantem, animosum, invictum, claram veritatis buccinam, organum electum, aliis classicum cecinisse, facemque accendisse, quam nulla flumina extinguere possent. Non attinet plura eruditorum effata referre, quamvis locupletiores mihi sint testes, quod res ipsa per se loquatur, publicaue, nec vulgaria aliorum specimina eximium veritatis studium declarent.

§. III.

Hoc non impediante Angelus iste coelo dimissus, regnique mysteria revelans, puramque doctrinam a corruptelis adversariorum vindicans gravia permultorum odia experiebatur, (8.) quos verborum partim acerbitate, partim miti, compositoque scribendi genere corrigebat, rectoque iudicio perhibebat, irritos esse atque inanes cunctorum conatus. Abundabat certe consiliis sapientibus, quibus Ecclesiam multum iuvabat; post aculeis repugnantes pungebat, quo ad frugem demum redirent. Monachi sigillatim sanctissimi Viri famam sugillabant, ambitionis nimiae eum incusabant, atque inanis gloriae cupidum vocabant;

(8.) *Eadem sunt hodie Lutheranorum, quae antesignani Lutheri fata. Is per summam iniuriam & terrae & diaboli filius, impostor, homo luteus, coenosam doctrinam propagans, a veritatis inimico, Lael. Bisciola in Hor. subsec. T. II. L. V. C. XVII. p. 428. it. L. X. C. II. p. 669. nominatur: Hi non sine causa dissidentium Pontificiorum agmen reformidant. Promulgavit in Lutheranorum detrimentum Concilium Constantiense, datam haereticis fidem, vel de haeresi suspectis non esse servandam, quamvis fide publica Imperatoris ad synodum venerint. Idcirco Hussus A. R. S. MCCCCXV. d. VI. Iulii, & Hieronymus A. MCCCCXVI. d. XXX. Maii igne consumebantur, tametsi SIGISMUNDVS Imperator publicam iis promiserit securitatem. Refert Matthias Theatr. Histor. p. 1078. quorundam exempla, qui perniciem, eludionemque Lutheranis minati sunt, unde lecto-*

cabant; foeda tamen arrogantia a Numine benigne concessio Doctori semper displicebat, eaque ratione haec improba consuetudo stomachum movebat, prout clara rei documenta evincunt. Itaque iusto zelo in istos invehebatur, quorum mores a praedictis criminibus haut procul aberant. (s.)

Affecclae ceteroqui Pontificis se perennes Lutberi hostes

iactaris pace unum vel alterum hic adscribam. Convenerunt sex Comites ac Barones A. C. MDXXX, se omnes facultates concessuros ad extirpandos Lutheranos. Quapropter FELIX internecinum odium demonstrabat, dicendo: Si bellum adversus Protestantes suscipitur, sine stipendio propriis sumptibus adversus eos militabo, & adhuc ante mortem usque ad calcaria in eorum sanguine equitabo. A. D. MDXLVIII. IOANNES VI. Constantiensis Episcopus e vita discedebat, qui permolestè in suo tractu Lutheranos ferebat, eorumque interitum intendebat, ut sequentia eius verba commonstrant: Tractabo eos egregie, aut manus Domini me tangat. RODOLPHO II. fascis imperii tenente, Patrum e S. I. aliquis A. C. MDLXXXI. haec & talia composuit, uti Augusti Caesaris animum a Protestantibus abalienaret:

Qua ratione queat Germania salva manere,
Suscipe consilium, Lector amice, meum.
Vtere iure tuo, Caesar, servosque Lutberi
Ense, rota, ponto, funibus, igne neca.

Neq̄ in praesens desit immanis Pontificiorum in Lutherianicos furor, quod nostra potissimum tempora, casusq̄ tristes loquantur. (s.) Summa eundem laude vindicarunt, a vana sigillatim honoris cupidine, Acad. nostrae Theologi in Refutat. Hist. Pencerianae, A. MDXCVII. divulgata. Accedit, quod permultis se ipsum locis prae singulari modestia indignum Vitembergensium Ecclesiasten appellet: Vt vel ex eo adversarii cognoscere valeant, se conviciis proscindere Lutherum, se absque veritate tantos Lutbero imputare defectus.

iactabant, atque in id omni studio incumbabant, quo Imperatoris, Regum, Electorum, aliorumque S. R. I. Principum iram & odium Beato viro conflarent. Verum, saxa quidem verberantur a fluctibus, sed non franguntur. Nec *Lutherus* firmitate his cedebat, nec ad desertores imitandos movebatur, neque potestates metuebat, neque curas religionis causa seponebat, impium potius atque livore plenum istorum animum ridebat, sedulusque contemnebat. *Annon is fuit Lutherus*, disquirat *Dresserus in praef. histor. Luth.* quem neque honoris aura, neque periculi tempestas, neque potentissimorum in mundo comminationes de proposito susceptoque consilio dimovere potuerunt? quis maiori animo fulmina P. R. contempsit? res humanas despexit, & *Satanae impetum a se repulit*? Non mentiar, si dixerò, adversarios hoc ipso improbitatem suam testatam fecisse, iniustarumque criminationum, & desperatae causae fontem in ipsis hostibus esse quaerendum. Daß die Leute mich einen Heuchler schelten / ist gut und höre es gerne; lastes euch nicht wundern / als die ihr unendliche Jahre her wohl mehr gehöret habt / wie man mich zu scholten und beredet hat in vielen Stücken / die alle mit der Zeit von ihnen selbst zu nichte / und zu schanden worden sind. 2c. Haec *Lutherus* T. III. Jen. f. 157.

§. IV.

Vnicum prius addam, quam potiora de *Lutheri* rebus gestis tradam. Non semel me in quorundam paginis legere memini, *Philippum Lutheri* in Theologia Praeceptorem & Moderatorem fuisse, *Lutheri* etiam scripta ad normam & censuram Corporis Doctrinae *Philippici* examinanda pariter & pensanda esse. Has, & similes formulas ferre nemo aequus rerum iudex potest, eo quod rerum veritati adversentur, ac *Lutheri* auctoritatem non parum labefactent, ne dicam, quod ipsum doctrinae corpus suis carere erroribus non videatur. Proponam *Collegii Theol.* verba,

B

ne

ne rem arduam meo iudicio ac assertioni innixam quis existimet, quae in *Apologia*, calumniis *Pruerianis* opposita, A. C. MDLIX. conscripta, habentur: *Iudicet Ecclesia, Lutherusne an Philippus maior fuerit? De linguae graecae ac Latinae, artiumque liberalium & rerum Theologicarum notitia, de methodica docendi, explicandique facultate non agemus. Id solummodo ab adversariis scire cupimus, uter prius Papalem hierarchiam, aggredi & horrendam illam beluam purpuratam &c. scriptis ac disputationibus oppugnare ausus sit? Uter maiora pro renascentis Evangelii lumine pericula subierit? Uter in adverso exercitu maiorem stragem ediderit? Uter aciem hostium prior percuperit, capitaneos aut ceciderit, aut in fugam coniecerit? Uter praelium hoc Domini maiore constantia, animique robore, urserit? Uter maiore successu confecerit? Hoc inter nos & Philippi parasitastros in quaest. versatur. Totius igitur Germaniae Praeceptoris obrias laudes assigno, quod in omnibus Luthe- ro maior non fuerit, suamque in rebus ad religionis doctrinam pertinentibus inconstantiam multis patefecerit. (2.) His opinor*

(2) *Testem prae ceteris nominabo D. Calovium, quippe qui in Critico S. in A. C. ap. 148. ad p. 202. non dubiis rationibus concludit, Melanthonem vitiatæ confessionis esse Autorem, eiusque triplicem ob id constituendam aetatem; primam, qua in loco de coena Domini Lutheri sententiam & voce & scriptis propugnabat; alteram s. mediam, qua aliud publice, aliud privatim defendebat; tertiam demique, qua Lutheri sententiam oppugnabat. Neque hic tantum ipsius error consistebat, sed longius etiam progrediebatur, atque is adeo docebat virium humanarum, nostraeque voluntatis in salutis negotio, & speciatim in conversione concursum, B. O. ad salutem necessitatem asserebat Idem, qualia ad crassos Semi-Pelagianorum, Synergistarum & Maioristarum errores accedunt. Vid. B. Calovius a p. 166. 167. ad p. 179. c. l. De quibus tamen omnibus commodiore loco agam.*

opinor satisfieri posse Melanthonis admiratoribus, dum eum insignem & praestantem dico Ecclesiae Doctorem, sed in eius constantia aliquid desiderare cogor. Quid operatus sit, Lutherus T. I. Op. Lat. verba pronunciat, Dominus per hoc organum, non in literis tantum, sed & in Theologia, satis testantur eius opera, etiamsi irascatur Satan & omnes squamae eius. Consentit laudatus Ordo, prout ex Hist. Peucer. Refut. Cap. II. liquet: Suam Philippo non detrahimus laudem, quam Lutherus ipsi tribuit, quod amplissimas doctrinas in scholasticae turmentutis commodum contraheret, & in breves synopses, enchiridia, elementa redigeret. De eo nunc agitur, quem DEVS doctrinae coelestis Reformatorem superiore illo seculo, Lutherumne, an Philippum esse voluerit, & uter ab altero doctrinae lucem acceperit, num Lutherus a Philippo, an Philippus a Luthero? Legantur plura in Conf. Theol. Vitemb. P. I. p. m. 302.

§. V.

Nascebatur is, in cuius supremum honorem, hoc, quicquid est, commentationis ingredior, auspicio DEIO. M^o Isebhii, X. Nov. A. C. MCCCCLXXXIII. [1] quem secundo post nativitatem die integritate conspicui Parentes, Io. Lutherus, & Margaretha Ziegleria fonte sacro tingi curabant. Patrem dicunt metallorum fossorem, dein Mansfeldiae minoris Magistratus munere perfunctum: Matrem vero virtutum splendore praeditam. In Matre, inquit Melanthon, cum ceterae erant virtutes, honestae matronae convenientes, tum vero praecipue lucebant pudicitia, timor Dei & invocatio,

B 2

intue-

(1) Fausta tanti filii Genitrix de anno nativitatis subdubitabat, diem autem (X. Novembr.) & horam (nocte audita XI.) se certo scire affirmabat. Malunt tamen plerique praedictum constituere tempus, id quod praeter innumeros scriptores Iacobus Lutheri frater, atque antiqui versus declarant:

NatVs es Isebhii, DIVIne Propheta, LVthere,
ReLLIgo sVLget, te DVCE, Papa IaCet.

intuebanturque in eam ceterae honestae mulieres, ut in exemplar virtutum. Vtriusque iussu & consilio laetus ad studia applicabat mentem: Quare progressus in iis non contemnendos faciebat, annoque aetatis XIII. cum Io. Reinecke Magdeburgensium, annoque XIV. Isenacensium iudos literarios salutabat, ubi ad completum quadriennii tempus singularem artibus liberalibus operam navabat, ac non fucata in DEVM pietate, vero in Parentes amore, divino ingenio, Grammaticae, eloquentiae, ac versuum cognitione, indefessa simul Ciceronis, Livii, Virgilii lectione crescebat & inclarescebat. Huiusmodi instructus doctrinae praesidiis cupidine flagrabat, frequentandi Academiam, ut altioribus imbueret animum disciplinis, nec in obscuro amplius latitaret. Humi namque repere nescia virtus, instruit se ipsam & praeparat, atque ad summum evehit. Quapropter Hieranam, perantiquam illam, iisque temporibus unam inter tot Academias excellentem, A. C. MDI. aetatis suae XVIII. adiit, quo firmiorem superstrueret fundamentis eruditionem, & linguarum, Latinae scilicet, Graecae & Hebraicae studium tractaret, Dialecticam quoque, tanquam differendi Magistram addisceret. Inprimis magnum sibi nomen comparabat Iuvenis, Auctores emendatum scribendi genus usurpantes diligenter pervolutando. (9.)

§. VI.

Tantam adhibens industriam, A. C. MDIII. dignum ut illum iudicarent Patres sublimioris scholae Conscripti, Docto-

(9) Solius Melanthonis me muniam testimonio, quoniam commemorationem suam partim ab ipsius Lutheri relatione, partim a conspectu suo deducit. Consilia, ibidem lego, horum scriptorum & sententias propius adspiciebat, & ut erat memoria fideli & firma, pleraque ei lecta & audita ob oculos erant. Sic igitur in iuventute eminebat, ut toti Academiae Lutheri ingenium admirationi esset.

Doctōris ei in Philosophia honores & privilegia solemni ritu conferebant. Itaque summo impetrato titulo, per omnem se scientiam diffundebat, ingenique facultatem doctis aeque ac indoctis ostendebat, & commilitones longe superabat, quid? quod late patentem Iuris scientiam, quam sola Propinquorum voluntate inchoaverat, gnaviter excolerat, ea, verbo, expediebat, quae ingenium Studiosum ac Artium Magistrum decent. Verum enimvero, placebat prae civili legum doctrina sapientiae coelestis studium: Quare A. MDIV. sua sponte Collegium ibidem Augustinianum ingrediebatur, multaque miseratione digna Monachorum fata subibat, eorumque fodalitati se adiungebat. Suscepta hac, felici omine, mutatione, res caducas plane missas faciebat, nec nisi sacra tractabat, pietati studebat, severo ordinis ritu seipsum regebat, nec gulae indulgebat, (1) disputando veritatem inquirebat, aliorum dubitationem ad stuporem usque solvebat, recte sentientes adiuvabat, Augustinum, Occamum, Gersonem, Thomam, Scotum, Gabrielem & Cameracensem legebat, sacra maxime Biblia, immota Prophetarum & Apostolorum oracula consulebat, subortos in animo scrupulos eximebat, criminumque promissam condonationem sola fide obtingere credebat certo, & concludebat. Ad monasticum autem vitae genus seligendum neque paupertas, neque agnatorum suasio commovebat Lutherum, sed probitas, & amor in sacras Literas, & discendae atque adipiscendae iustitiae coelestis singularis zelus, praeterea metus de Numinis ira, deque poenarum aeternarum

B 3

(1) Et istud Melanthoni debeo, qui l. d. sequentia consignavit: Erat natura, quod saepe miratus sum, in corpore nec parvo, nec imbecilli, valde modici cibi & potus, vidi continuis quatuor diebus, cum quidem recte valeret, prorsus nihil edentem, aut bibentem, vidi saepe alias multis diebus quotidie exiguo pane & bacleae contentum esse.



narum suppliciis, animo conceptus. Non praecipitabat Noster, sed paulatim procedebat ad honores consequendos, quippe qui IV. annorum intervallo ab infimo dignitatis gradu incipiebat, inque monasterio eo usque agebat, donec A.C. MDVII. *Dominica Cantate* ab Hieronymo, Episcopo Brandenburgico sacerdos constitueretur.

§. VII.

Non multo post, anno nimirum MDIIX. iubente FRIDERICO III. a D. Io. Staupitio, Viro extra controversiam docto, vocatus, *Vitembergam* cum *Erfordia* commutabat, [*] atque Acad. Rectore, *Nic. Viridimontano*, AA. & Phil. Magistro, S. Theol. Professore, ac *Ecclēsię Legnicensis Canonico* Academiae nomen dabat. Cum magnae expectationis Vir adventaret, *Aristotelis* Physicam atque Dialecticam interpretabatur, creditumque deinde munus Theologicum rite ornabat, explanandasque *D. Pauli* epistolas se dignum & conveniens putabat, eo quod fundamentum in iis agnosceret solidum, virtute meriti CHRISTI, non bonis operibus crimina expiari. Accedebat *Vitembergensis* sub ea tempora *Senatus* honorifica invitatio, ut in Ecclesia publice doceret: Adeoque dextre omniumque admiratione defungebatur provincia, quam concordi senatus oppidavi consensu MDIIX. impetrabat.

§. VIII.

(*) *Nulla Contr. Wettero, ac reliquis & hodie criminantibus Pontificiis fides habenda est, qui impudentiae callum obdixerunt, & vel scribere, vel pro concione loqui non erubescunt, Lutherus sey ein ausgesprungener und aus dem Augustiner Kloster entlauffener Mönch. Neque diffiteri possunt dissentientes, Lutherum minime illiber ali sibi fuga consuluisse, sed legitime vocatum, in recens conditam ad albim Academicam venisse. Faciunt huc triti, temporis que rationem signantes verso: Mittlt Vr a Lblor In, Christo a VXIIlante, LViber V: QVantVs erat Vates? gLorla qVanta Scholae?*

Sic dum invigilaret concessis divinitus muneribus, VII. Augustinianorum conventus adversus eiusdem ordinis monasteriorum per Germaniam *Vicarium Generalem* insurgentibus, atque graves eidem controversias movebant. Hisce componendis diffidiis *Romam* A. C. MDXI. missus, [λ.] pristinam felici successu concordiam reducebat, ac simulationes, odia, inimicitias & id genus plane debebat, seque in Saxoniam, nominatim *Vitembergam* rursus conferebat. Vti summos in Theologia honores obtineret, IV. Octobris A. MDXII. pro *Licentia*, ut vocant, disputabat, (μ.) eosque die XIX. dicti mensis & anni, sumtus FRIDERICO III.

- elargien-
- (λ) *Constituunt alii annum CHRISTI MDX. aliamque causam profectionis innuunt, se cum monacho Romam missum, uti veniam comedendae carnis in summa infirmitate fratribus a P. R. peteret & obtineret. Consulatur Dresseri Hist. Luth. sub Tit. Narratio brevis de profectione Lutheri in urbem Romam.*
- (μ) *Lutherus nunc in disputandi exercitatione Praeses, nunc ad honores conferendos Decanus facultatem creandi exercebat, & renunciabat Licentiatos, quos vocant, (sive, ut in Acad. albo inveni, ad licentiam admisit in S. Theologia magistrandi,) Io. Pictorem, Lips., Andr. Hofrichterum, S. Th. Baccal. formatum, MDXIV. Melchiorem Miritshium [Mirizium] Priorem Dresd. Ord. Augustin. Io. Froschium, Bambergensem, MDXVI. Casparem Crucigerum, Lips. Io. Bugenbagium, Io. Aepinum, Super. Hamb. MDXXXIII. Hieron. Wellerum, Nic. Medlerum, MDXXXV. Iac. Schenckium, Phil. Motb, MDXXXVI. Petr. Palladium, Danum, Tilemannum, MDXXXVII. Cyr. Gerichenium, Servestanum, Pastorem Bernburgensem, MDXXXVIII. Ioach. Moerlinum, Vitemb. MDXL. Io. Maccabaeum, Scotum, & Henricum Luneb. MDXLII. Io. Marpachium, Lindac. Hier. Noppum, Frid. Backofenium, Lips., Erasim. Alberum, (Albertum) MDXLIII, Theod. Fabri-*

elargiente, Decano D. Andr. Bodensteinio, publico Patrum suffragio atque applausu nanciscebatur. [v.] Neque praetermittendum est, quod oblata saepius Doctoris insignia recusaverit, vel eam ob causam, quia luculento corporis languore tentabatur, cui stans sub arbore quadam *Staupitius* dicebat: *Multum adhuc negotii in Ecclesia Dei restat, ad quod conficiendum recens creatorum Doctorum operas adhibebit; moriaris igitur aut vivas, tuos tamen labores atque consilia Altissimus exposcit.* Doctoris privilegiis ornatus in id incumbebat, ut nominis famam concatenato studio atque industria amplificaret, atque his rebus demonstraret, non in indignum fuisse collocatos honores. In primis magna fide praeerat commisso MDXVI Vicariatus & inspectionis coenobiorum muneri, dum *Staupitius* pro istorum temporum superstitione in *Belgium* proficiscebatur, uti ad FRIDERICI III. mandatum innocentes sanctorum reliquias comparatas Saxonico tractui inferret. Interea Codicem sacrum esse legendum suadebat, quidquid in contrarium afferrent strenui ritus Pontificii defensores; de viribus & voluntate hominis sine gratia

cium, Stanisl. Litvanum, Georg. Maiorem, Io. Fabricium, MDXLIV. & Petr. Hegemonum Francum MDXLV.

(v.) *Doctores Theologiae inaugurabat modo Decanus, modo Promotor constitutus, Melch. Mirizium, MDXVI. Io. Froschium, MDXVIII. Hier. Wellerum, N. Medlerum MDXXXV. Iac. Schenckium, Ph. Moth, MDXXXVI. Palladium & Tilemannum MDXXXVII. & qui sequuntur, iam superiori litera (u.) laudatos. Quod superest, A. MDXIII. Tilemanno Schnabelio potestatem praelegendi fecit, (s. ut in MSCtis Academiae tabulis legitur) eum ad formaturam, id est, ad L. III. & IV. Lombardi admisit, & A. MDXXI. Iac. Furerum ad legendum L. I. & II. Magistri sententiarum Decani munere fungens. Obiter observandum, eundem Praesidem & Decanum Baccalaureos Biblicos creasse, Franc. Guntberum, Nortbusanum, Mart. Glasserü,*

gratia adversus *Papatum* disputabat, Theologiam idioma-
 te Germanico consignabat, *Tauleri* homilias prelo subiicien-
 das curabat, receptas Scholasticorum, easque impias nugas
 & quaestiones contemnebat, ignotum & neglectum Evan-
 gelii discrimen innuebat, praelectiones ad emendandum *iu-*
stificationis caput instituebat, scriptam ad *Romanos* episto-
 lam auro cariorem habebat, eamque ad Spiritus S. mentem
 illustrabat; remitti crimina propter CHRISTVM e paginis
 sacris liquido deducebat, hominum pro peccatis satisfactio-
 nem constans pernegabat, neque operibus, sed in CHRI-
 STVM fide fieri iustos, & DEO reconciliari affirmabat.
 His rebus fiebat, ut in corrigendis doctrinae capitibus hae-
 reret, multamque a probis iniret gratiam *Lutherus*, con-
 suetudines vero & ritus Papales haut mutaret. Neque un-
 quam ulterius progredi decreverat, nisi ad LEONIS X. prae-
 scriptum vanarum indulgentiarum mercator, *Io. Tezelius*,
Domini canorum impudentissimus, & *Servestae* & *Introboci*
 adeo manifestam fecisset impietatem suam, ac soluta pe-
 cunia quorumvis, futurorum etiam criminum veniam
 atque absolutionem promississet. (ξ.) Idcirco divina beni-
 gnitate vocatus veram poenitentiam annunciabat, erran-
 tes, indulgentiarumque cupidos cives informabat, iusto
 TEZELIUM zelo aggrediebatur, sufficientique positionum

C

XCV.

A. MDXVII. *Henr. Greiffium*, *Io. Westmannū*, *Io. Cuelsamerum*,
 A. MDXX. *Henr. Zütphanensem*, *Ant. Zimmermannum* &
Io. Schlachymbaufonium, A. MDXXI.

(ξ.) *De tegebat iure Baptista Mantuanus ad exitium propensam*
Pontificiorum avaritiam his versibus:

- - - *Sunt venalia nobis*

Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronae,

Ignis, thura, preces, coelum est venale, Deusque.

XCV. adversus indulgentias numero ipsius audaciam reiciebat pariter & refellebat. (o.)

§. IX.

Haec itaque positionum series, ad quam examinandam singulos invitabat, qui in rei veritatem inquirere velent, faustum subsecutae repurgatae doctrinae primordium erat, quam neque principio, dum theses in Augustiniano coenobio conscriberet, intendebat, (π.) neque privatis affectibus, V. C. gloriae cupiditati indulgebat, quod Io. Cochlaeus sine veritatis fundamento tuetur, neque aliorum ad-

(o.) *Affigebat theses A. MDXVII. ad d. XXXI. Octobr. hora XII. meridiana Vitembergae OO. SS. templi foribus, ut fidem faciunt Sleidanus a Lib. 1. initio, Io. Ad. Oslander in Diss. de Iubil. Ebraeo-Christ. & Acad. D. Franzius, Diss. Theol. Iubil. de Indulgentiis Pontificiis, D. Io. Musaeus §. 29. de Indulg. Papal. Polyd. Vergil. L. VIII. de Rerum Invent. c. IV. Compend. Hist. Eccles. Gotb. L. II. c. V. §. 1. p. 728. Conf. praeterea causae, in Franzii Diss. de Indulg. Pontif. p. 28. seqq. quibus Lutherus sub ipsorum adhuc Pontificum regimine constitutus sum, seriem animum, notissimum indulgentiarum mercatum improbandi. Rubricam T. I. Ien. p. 2. subsequenter observavi: Aus wahrer rechter Liebe und sonderlichen Fleiß / ohne einiges Gesuch eitler Ehre / die Wahrheit an den Tag zubringen / will der Ehrwürdige Vater D. M. Luther / Augustiner / zu Wittenberg der freyen Künste und H. Schrift Magister &c. durch Gottes Gnade folgende Sprüche vom Ablass handeln / davon disputiren / vertheidigen und erhalten / wider Bruder Johann Tezel Prediger, Ordens. Bittet derohalben die / so gegenwärtig sich mit ihm davon nicht unterreden können / wolten solches im Abwesen durch Schriften thun. &c.*

(π) *Non ea Luthero mens fuit ab initio, ac si Papatum destrueret, sed abusum indulgentiarum duntaxat impugnare vellet,*

monitionibus adductus urgebat, sed solo in Christum, eiusque coetum amore suscipiebat. Has propositiones *Tezelius* videns valde indignabatur, eo quod vindicatae sibi auctoritati plurimum obessent: Inde inflammato se furoris impetu *Luthero* opponebat, non pro suggestu eundem refutabat, e quo indulgentiarum ante dignitatem demonstraverat, sed acerbis atque maledictis conviciis incessabat, ac *Lutherum* haereticum igni exurendum clamabat. Neque hic orationis ac persecutionis iniquae finem faciebat, sed integerrimam *Martini* de indulgentiis concionem, & commemoratas positiones igni traditas in cineres redigebat, theses *CVI.* alias *Francofurti ad Oderam*, Auctore *Conrado Wimpina* exaratas, defendebat, (p.) atque Philosophiae Scholasticae non ignaros Doctores ad certamen cum eo ineundum non semel commovebat. Tantos nactus, quos facile praevidebat, hostes, necessitate urgebatur, uti men-

C 2

tem

Deo tamen totam hanc rem moderante, protractus ab Antagonistis in arenam articulum unum post alterum luci suae restituit: Ita apposite iudicat B. Kromayerus Scrut. Relig. Disp. XIII. Th. XVI. p. 314. Conf. praeter ceteros Melancthon p. 12. de Vita Lutheri: Lutherus nihil adhuc suspicans aut somnians, de futura mutatione rituum, ne quidem indulgentias prorsus abiiciebat, sed tantum moderationem flagitabat.

(p.) *Sleidanus illarum compendium exhibet l. d. p. 2. Johann Tezel ließ zu Francfurth an der Oder / etliche andere Articul / des Luthers Articuli ganz zuwider / ausgehen / in welchen er des Pabsts Gewalt / grossen Nutzen des Ablasses / und das hölzern Crucifix / welches der Pabst hin und wieder in den Kirchen aufzurichten befohlen hatte / dermassen rühmet / daß er auch mit S. Petro dem Apostel den Pabst / und unsers HErrn Christi Creuz / an welchem er für uns sein theuer Bluth vergossen / mit diesem Pabstischen / hölzernen Creuz vergliche.*

tem suam apertius explicaret, seque adversus contradicentium insultus muniret. Eum ad finem XXX. Nov. Archiepiscopo Moguntino, Marchioni Brandenburgico, ALBERTO epistolam inclusis simul XCV. in controversiam deductis assertionibus, trans mittebat, in qua nimios indulgentiarum praeconum errores, earumque corruptelas recitabat. Neque minus innocentiam suam Episcopo Brandenburgico, HIERONYMO significabat, atque a D. *Staupitio*, ordinis Augustini per Germaniam Vicario contendebat, uti ad Pontificem mittendas, legendasque curaret theses.

§. X.

Sicco praeterire pede nequeo, & LVTHERVUM ad LEONEM X. mense *Junio* scripsisse literas, ne fidem falsis tribueret narrationibus atque delationibus, se enim non dubitare, quin ab improbis ac avaris accusatus esset hominibus, universam huius loci secum Academiam sentire, se omnem suam doctrinam, vitam & salutem Pontifici subii cere, seque ad subeundam, si ita placeret, mortem paratum esse. Praeterea D. *Io. Eccius*, Vir ob subtilem differendi artem percelebris, peculiari impugnabat positiones libello, quem senectute confecti Monachi, *Sylvestri Prieriatis* Dialogus excipiebat. Vtebatur postremus ad LEONEM praefatione quadam, qua se MARTINVUM victurum non sine fiducia ponebat, Pontificem totius Ecclesiae caput, Romanamque Ecclesiam praecipuam iactabat, Scripturam S. ab eadem virtutem habere confidenter statuebat, Concilium demum, ubi Papa esset praesens, nullis obnoxium erroribus comprobare cupiebat. Horum obiectionibus confestim respondebat Noster, se non nisi ea, quae in S. L. scripta fundataque essent, credere, sive Patrum sive Doctorum monimenta veritati obessent. *Sylvestro* sigillatim brevi epistola usurpatam in defendendo malitiam & calliditatem ad oculum monstrabat, responsionem eius diaboli foetum

nuncu-

nuncupabat, atque deliberato confirmabat, quod si LEO cum Purpuratis eiusmodi dogmata foveret, se nunquam cum Ecclesia consensurum esse. Interim nec MAXIMILIANVS I. Romanorum Imperator quiescebat, sed missis ad LEONEM, mense *Augusto*, literis *Lutheri* sententias plurimam partem ob haeresin suspectas nominabat; adeoque rei gravitatem exigere iudicabat, ut exortos principio comprimeret motus, suaque, qua polleret, uteretur potestate, ne maius afferrent detrimentum.

§. XI.

Quapropter Romam XXIII. *Augusti* MDXVIII. ad reddendas fidei suae rationes vocabatur, ceu Pontificis ad Thomam *Caietanum* consignatae literae evincunt. LEO simul FRIDERICUM III. Principem Electorem certiolem faciebat, *Lutheri* ad populum habitos sermones, divulgatasque dissertationes ac literas dogmata Romanae Ecclesiae contraria complecti, ipsius quoque scripta ita esse comparata, uti rigidiorum censuram mererentur: Speraret igitur, fore, ut *Caietani* petitis lubens assentiretur, Romamque *Martinum* dimitteret. Ipse *Martinus*, ut intra Germaniae fines doctrinae suae examen institueretur, efflagitabat, intercedebat pietate & sapientia insignis FRIDERICVS, intercedebat Academia apud Pontificem, (σ) eiusque Camerarium, CAROLVM MILTIZIVM, natione Germanum, atque *Lutherum* ob vitae integritatem, ac non vulgarem eruditionis copiam commendabat. Tandem *Augusta Vindellicorum* eligebatur; quorsum se *Lutherus* nullum periculi genus pertimescens conferebat, ac praeter omnium expectationem animo imperterritus, mense *Octobris*, ad propositas

C 3

a Car-

(σ.) *Rectore Io. Stoebio* haec totius Academiae nomine consignabatur epistola, quam *Amplissimus ac Consult. Vir, G. Suedus* in *Acad. Vitemb. sub lit. H. 3. ad A. MDXVIII. repetiit, & posteritati conservavit.*

a *Cardinale Caietano* quaestiones respondebat. Erant vero ad Pontificis iussum huius tenoris ac argumenti: *Vtrum disseminatos passim ab eo errores retractaret, atque cum Ecclesia in gratiam rediret? Deinceps: Vtrum sibi a scriptis, quae Ecclesiae concordiam & unitatem laederent, temperare vellet?* Peculiari insuper scripto testatum relinquebat, se nunquam errores docuisse, se in scriptis verae Ecclesiae non contradixisse, neque unquam contra sanam aliquid rationem protulisse, atque adeo sententiam suam reiicere non posse. Commonefactus ab amicis, ne *Augustam* proficisceretur, hoc ipsis respondit: *Si mihi CCCC. capita essent, atque scirem, me omnia ibi amissurum, certo tamen Augustam ingrederer.* Proscriptus ab Ecclesiae societate auctoritate LEONIS Pontificis, constanti hoc infortunium animo perferebat. Cumque Princeps Elector Saxonum a *Cardinale Caietano* rogaretur, ut vel ex Electoratu removeret *Lutherum*, vel in Pontificis manum traderet; promptissimus hic Noster erat ad discessum, ne sui causa provinciae Saxonicae quicquam detrimenti caperent. Quaerenti, ubinam sedem figere vellet e Saxonico tractu discedens? *sub coelo manebo; reponebat.*

§. XII.

Neque unquam cogitandum, quasi humanitatem exuentes coetus Romani servi promulgata ista proscriptione contenti fuissent: Maiori potius fremebant contra eundem impetu, e vivorum communione sublatum plane cupiebant, ac consueta haereticorum poena eum mulctari cupiebant. Invertit tamen singulari prudentia iniqua eorum consilia *Augustinianus*, die nimirum XXIX. *Novemb.* a Pontifice ad futurum Concilium appellat, multisque momentis permotus statuit, *nullum Pontificem esse supra Concilium, esse autem id supra Pontificem*, eumque more humano errare posse. Simul asseribat, semet omnibus votis istam sibi felici-

licitatem expetere, quo eiusmodi in Germania institueretur Concilium, ubi Viri docti, ac a praedictis immunes assiderent, uti doctrinam suam libere profiteri, mentisque sensus attendentibus explanare valeret. Adhaec LEO Legatum, praedictum CAROLVM MILTIZIVM in Germaniam ablegabat, rosamque auream, tanquam indubitatum favoris ac amicitiae signum, FRIDERICO III. dono dabat, quo *Lutherus* (quem filium diaboli Pontifex in literis ad Generosissimum *Pfeffingerum* dicit,) dignas perfidia sua poenas lueret. Excipiebat Noster ad hanc epistolam, se nunquam contra Ecclesiam deliquisse, se promptum non modo ad revocandum, quod si commodum in Romanam redundaret Ecclesiam, sed & linguam compressurum, neque in scribendo perrecturum, quando ipsi etiam adversarii tacerent: Se igitur summa mentis veneratione rogitare, ut liberum pronunciaret eum Pontifex, ac a similibus sceleribus absolveret, ne propter meram malevolorum invidiam Principis FRIDERICI offensionem incurreret. A. P. C. N. MDXIX. Io. Eccio, Ingolstadiensium Professore, Lipsiae cum D. Andr. Carolstadio, Vitembergensium Archi-Diaco-
no disputanti, sese opponebat. (τ.) Doctrinae caput, quod,
facta

(τ.) Intererat Dissertationi huic Saxonum Dux GEORGIUS; cepit ad d. 27. Iunii, finita est XIV. Iulii. Primum quidem solius Carolstadii causa instituebatur eadem, adveniente autem Luthero & Melantbone, graecarum t. t. literar. Prof. una cum insigni studiosorum Vitembergensium comitatu, provocabat Lutherum Eccium, uti secum certaret, atque Pontificis, si posset, auctoritatem infringeret. Accedebat, quod tanto Carolstadius progressu adversus Eccium non disputaverit, prout rei dignitas postulabat, inde nixus Noster auxilio divino cum Doctore Pontificio in arenam descendebat, suamque e sacro codice doctrinam adstruebat. Ita tradit L. Jerem. Weber / Theol. quondam Lipsiae Prof. Extraord. im Evangel. Leipzig / p. 22.

facta *Luthero* per *Eccium* a Duce *GEORGIO* disputandi copia, potissimum in controversiam veniebat, hoc in *Sleidano* & aliis Scriptoribus occurrit. *Falluntur*, qui certo perhibent, *Romanam Ecclesiam* ante *Sylvestri* tempora inter omnes non eminuisset. Tuebatur *Lutherus*, praerogativam *Romanae Ecclesiae* assignantes non nisi Pontificum decretis insistere. Seposito graviori hocce momento ad alia progrediebatur *Eccius*, quaerens, an *Lutheri* de indulgentiis, de poenitentia, de condonatione culpae, de poenae remissione, de Sacerdotum potestate positiones destruere valeret. Conf. *Kromayeri Epit. Christ. Conc.* p. 412.

§. XIII.

A. MDXX. *MILTIZIVS* cum *Luthero* deliberabat, ut magna cura & diligentia notaret literas, easque Pontifici mitteret. Sequebatur consilium Noster, ac perfacilem ad concordiam declarabat viam, scilicet, ne tanto in *Lutherum* furore saevirent Pontificii, ne ad retractandum vi cogeretur, neque ipsorum more & instituto explicandi Scripturas obligaretur. Decumbente *FRIDERICO* librum componebat, quo *Saxonum Ducem* morbo laborantem solatio divino erigebat. Impugnabat quoque alio libello, singulorum criminum enumerationem haut esse necessariam, ac sufficere ad absolutionem, si odio prosequeretur commissa cri-

mi-
seqq. *D. Andr. Carlstadt* hat die Disputation im Jahr 1519. auf dem Schloß zu Leipzig mehr/ als *D. Luther* veranlasset/ wie dan auch *D. Luther* nur zu solchem Ende von *Wittenberg* aus mit nach Leipzig gereiset/ daß er der Disputation als ein Zuhörer beywohnen/ nicht aber/ daß er selbst mit disputiren wolte / als aber die Sache mit *D. Carlstadt*en gegen seinen Widerpart / *D. Eccium* nicht recht fort wolte / und dieser jenen mit Schreyen und Geschwindigkeit überlegen zu seyn schiene / so trat endlich *D. Luther* an seine Stelle / und continuirte die Disputation noch 10. Tage mit *D. Eccio* &c.

mina confitens, vitaeque intenderet, sibi que proponeret emendationem. Vna luadebat, uti sub utraque specie CHRISTI corpus in Sacramento coenae distribueretur. Dum catervatim in eundem irruerent adversarii, literas ad Imperatorem, CAROLVM V. per amplas consignabat, demississime petens, ut iustitiae defensorem ageret; se namque iure a Caesare praesidiū contra vim, ac intentatam improborum iniquitatem expetere. Ne quid de pluribus, V. G. ad Archiepiscopum Moguntinum, ALBERTVM, ad Episcopum Martisburgensem scriptis literis subiungam. Ista tamen commemorare brevibus gestio, quas Pontifex eodem anno ad FRIDERICVM dare non verebatur atque cesabat. In his certe multo maiorem in prohibitum Ecclesiae communiōne Lutherum exerebat iracundiam, eundem Diaboli, non CHRISTI nuncium, ob ambitionem nimiam delirantem, castitatis hostem, poenitentiae inimicum, Turcarum amicum & s. p. nominabat. Conf. Sleidanus l. d. p. m. 36. Romae Lutheri libris igni adiudicatis, hanc poenam susque deque habebat, Pontificem superbum Ecclesiae Christianae Contemptorem ac Tyrannum, imo Anti-Christum appellabat, ac denuo ad Concilium provocabat, his permotus causis; quod (1.) & inauditus, atque nondum convictus fuerit condemnatus; quod (2.) Pontifex negaret, fidem ad Sacramenta requiri; quod (3.) traditiones Scripturae S. auctoritati praeponeret; & (4.) quod convenientem denegaret Conciliis honorem. Ad haec Academiae Vitemb. Studiosos convocabat, atque ad d. X. Decembr. MDXX. ante portam Elisteris LEONIS X. Bullam cū Iure Pontificio in ignem coniiciebat, haec eloquendo: *Quoniam Tu conturbasti sanctum Domini, ideo Te conturbet ignis aeternus. It. Quemadmodum mihi fecerunt; ita illis feci.* Vid. Io. Cluveri Hist. Tot. mundi Epit. p. m. 658. f. a. A. MDXXI. a CAROLO V. speciali invitatus
D. ... episto-

epistola, (v.) uti *Vormatiae* compareret, inque comitiis
causam ageret, deesse clementissimo Imperatoris mandato
nolebatur, se potius eo cum *Iusto Iona*, *Nic. Amsdorfio*, & *Hier.*
Schurfio conferebat, quaestiones propositas dissolvebat, [φ.]
multaque spe ac magnanimitate urbem ingrediebatur, di-

(v.) *Non iniucundum existimo, CAROLI V. subnectere literas,*
quibus Lutherum Vormatiam vocabat, liberumque comen-
tum, sive saluum conductum ei promittebat:

CAROLVS V. Dei gratia
ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS,
HISPANIARVM REX, ARCHIDVX AVSTRIAE &c.

Honorabili, nostro dilecto, de voto Doctori
M. LVTHERO, Augustiniani ordinis.

Honorabilis, Dilecte, Devote,

Quoniam Nos & imperii Status nunc hic congregati proposui-
mus & conclusimus propter doctrinam & libros, aliquandiu
hactenus abs Te editos, scrutinium de Te sumere, dedimus ti-
bi ad veniendum huc, & iterum hinc ad tuam securam tuitio-
nem, nostram & imperii liberam, directam securitatem &
conductum, quem tibi circa haec mittimus. Desiderantes,
ut velis te statim accingere itineri, ita ut intra XXI. dies in
huiusmodi conductu nostro nominatis omnibus modis hic apud
nos sis, & non domi maneas, neque ullam vel violentiam vel
iniuriam timeas. Volumus enim te in praefato nostro condu-
ctu firmiter manu tenere, & nobis persuadere, te venturum.
In hoc namque facies nostram severam sententiam. Datum
Vormatiae d. VI. Martii, A. D. MDXXI. primo imperii anno.

(φ.) *Interrogabat Io. Eccius, Caes. Mai. Orator, & latine, &*
Germanice: [1] numnamne libros omnes a se conscriptos, &
ipsum nomen habentes pro suis haberet & agnosceret? [2] V-
trum animus esset, eos in posterum tuendi, aut in iis compre-
hensa dogmata retractandi?

*cens: Vocatus decrevi mecum ingredi in urbem, in nomine Do-
mini IESU CHRISTI, etiamsi scirem, tot Diabolos mihi op-
positos, quot sunt tegulae in omnibus totius urbis tectis. [x.]
Quamvis autem ingenti fiducia in splendidissimo Statuum
Imperii confessu religionis causam defenderet, [v.] atque
intranquillitate ad d. XXVI. Apr. hora ante meridiem X.
abiret; nihilominus ad d. XXVIII. Martii publice Lutherum
LEO, atque ad d. VIII. Maii Caesar proscribebat. Neque
fatis ita animi libidinem expleverant Pontificii, Theologi
etiam Parisienses Lutherum condemnabant, editos ab eo li-
bros male traducebant, hinc doctrinae capita de Sacramen-
tis, de Ecclesiae constitutionibus, de votis, poenitentia, scelerum
condonatione, purgatorio, arbitrii libertate, & reliqua
congerebant, illa in exitiosis atque falsis fidei articulis nu-
merabant, Lectoremque a defensione & eorundem lectio-
ne plurimis rationibus abducebant. Posteaquam agnovit
vehementem Pontificiorum indignationem FRIDERICVS
III., eundem Warteburgi occultabat, [o.] ac praeter cuiusvis*

D 2

opinio-

(x.) Videat, qui plura volet, acta Rever. Patris, D. Lutheri co-
ram Caesare, Principibus, Electoribus & Imperii ordinibus in
Comitiis Principum Vornatiae T. II. Oper. Lat.

(v.) Digna, quae repetantur Martini verba, quibus inprimis
usus est: Nisi convictus fuero testimoniis scripturarum, aut
ratione evidente [nam neque Papae neque conciliis solis credo,
cum constet ea errasse saepius, & sibi ipsis contradixisse] vi-
ctus sum, scripturis a me adductis, captaque est conscientia in
verbis Dei, revocare neque possum, neque volo quicquam, cum
contra conscientiam agere neque tutum sit, neque integrum.

Hier stehe ich / ich kan nicht anders / Gott helffe mir / Amen!

(o.) Ex instituto consulantur de Pathmo Lutheri in arce Warteburgi prope Isenacum animadversiones, D. Pauli Antonii notis illustratae.

opinionem ad X. menses omnium conspectui subductum
alebat, ne periculis adeo esset expositus. Quid hic perege-
rit, quomodo publicis scriptis DEI veritatem adversus con-
tradictantes tutatus fuerit, ob chartae angustiam annotari
nequit.

§. XIV.

Dum *Carolstadius* A. MDXXII. *Vitembergae* non exi-
guos tumultus excitabat, revelationes iactabat, imagines
destruebat, scholas quoque ac templa vastabat, eo quod
Ierem. XXXI. v. 34. legatur: *Nemo docebit ultra proximum
suum, neque frater fratrem*: Ipse *Luberus*, relicto citra FRI-
DERICI consensionem pathmo, huc redibat, insana istius,
fociorumque *Gabrielis Didimi*, & *Georgii Mori* molitiones
impediebat, atque motas hic loci turbas feliciter compo-
nebat. Quo Principis Saxonum Electoris gratiam retine-
ret, singulari quadam ipsum alloquebatur epistola, cau-
sasque aperiebat graves, quare absque istius mandato *Var-
teburgum* reliquerit; se scilicet non contemnere Caesaris ac
Pontificis proscriptionem, sed petitis *Vitembergensis Ec-
clesiae* semel, iterum ac saepius factis dedisse locum, se Pa-
storem sacri huius coetus vocatum fuisse, ab aliis percha-
ram Ecclesiae quietem sublatam, quippe quam absens re-
stituere haut potuisset. Conscripserat A. MDXXI. Angliae
Rex, HENRICVS VIII. de VII. Sacramentis nonnihil ad-
versus *Lutherum*; cui A. C. MDXXII. Regis vultum ac per-
sonam parum curans, vehementi scripto respondebat. In-
sequenti anno MDXXIII. HENRICVS VIII. literas ad FRI-
DERICVM, IOANNEM, ac GEORGIVM, Saxoniae Du-
ces perscribebat, *Lutherum* ob usurpatum durum scribendi
genus accusabat, ac infinita pericula narrabat, quibus Ger-
mania ob *Martini* doctrinam affligeretur. Instituto per Pon-
tificem ADRIANVM conventu, *Norimbergae* decernebant Prin-

Principes, postulare rei necessitatem, uti propediem universale celebraretur in Germania concilium; neque enim amplius varia Romae commissa crimina diffiteri poterant. Interim concludebant, fore consultius, si *Lutherani* ab edendis libris tantisper abstinerent, atque Evangelium, more Ecclesiae recepto, explicarent. *Lutherus*, viso decreto, interpretem agebat, non esse explanandum Evangelium, secundum *Thomae*, *Scoti* & reliquorum opiniones, sed ad Ecclesiae Patrum, *Hilarii*, *Cypriani*, *Augustini* sententias, ac, ubi errarent, ad Spiritus S. & divini Codicis mentem. Succedente in *ADRIANI* locum *CLEMENTE VII.*, is *ADRIANI* conclusum prorsus improbat, *Laurentium Campegius*, A. MDXXIV., eiuratum status conjugalis hostem, *Norimbergam* mittebat, uti singula contra *Lutherum* urgeret, quae quondam *Vormatiae* decreta fuissent. Idem *Campegius* Cardinalis in literis ad *FRIDERICVM* Electorem confectis, *Lutheranorum* fidem excogitatum novum Ichisma appellabat, eundemque admonebat, ne Romanam Ecclesiam, cui *Divi* *Maiores* nunquam non adhaesissent, desereret.

§ XV.

Castum Noster matrimonium iniit A. C. MDXXV. cum pudica & decora Virgine vestali Cisterciensi [a] *Catharina a Bora*, ab aliis *Borana*, *Boria*, *de Bobra*, *Borna*, *a Bora* & s. p. appellata, ex nobili & equestri familia Saxonica [Misnica] oriunda, cuius Frater *Ioannes a Bora* dictus, vii ex commendatione, ad *IO. FRIDERICVM*, Princ. Electorem Sax, a *Lutbero* A. MDXLII. scripta, perspicuum. Haec cum

D 3

aliis

(a.) Nulla igitur Varillasio fides habenda, *Abbatissae* eam in *Vimigrensi* monasterio, secundo ab urbe nostra lapide dignitate inclaruisse. Vid. *ingens Acad. Gryphiswald. decus*, *Mayerus* in *Dissert. de Catharina Lutheri Coniuge*, §. 11. p. 8.9.

aliis VIII. monialibus [3] e *Nimitschensi* prope *Grimmam* in
Misnia monasterio A. MDXXIII. semet subducebat, *Leonardi*
Coppe, civis & senatorii ordinis in oppido *Torgaviensi*, &
sociorum auxilio felix evadere, tertiaque *Paschatis* feria
Vitembergam delata, ipsa per biennium *Phil. Reichenbachii*,
t. t. *Poligraphi*, deinde *Viri Consularis*, in vico consulari
habitantis aedes pie & honeste inhabitabat. (γ) Firma qui-
dem mente secum ante *Martinus* constituerat, coelibem
agere vitam, quia dubitabat, an idoneus esset ad coniugi-
um; erat inde, quod *Catbarinam a Bora* Doctori *Glacio* col-
locare volebat, in cuius amorem *Virgo* consentire renue-
bat; erat inde, quod *Barthol. Bernardi* *Feldkirchensis* (*Vel-*
curio) primus *Kembergensium* Praepositus, (δ) *Andr. Boden-*
stein,

(β.) Nomina coniunctim recenset *Lutherus* hac serie: *Magdalena*
Staupiz, *Elsa de Caniz*, *Ave Grossin*, *Ave Schonfeld*, & soror *Marg-*
garis Schonfeld, *Laneta de Golis*, *Margaris Zeschau*, cum sorore
Catbar Zeschau, & *Catbar. de Bora*. Miserrima istarū conditio-
ne commotus, repetitas ad *Spalatinum* misit literas, quibus con-
victum iis procuraret: Ad me venerunt, inter alia reliquit,
novem istae moniales, vulgus miserabile, sed per honestos ci-
ves *Torgavienses* advectae. Deinceps: Te oro, ut opus cha-
ritatis facias, & pro me mendices apud aulicos tuos divites
aliquid pecuniae, qua eas ad octiduum, vel quindenam ali-
quam alam, donec eas commode suis cognatis aut meis pro-
missoribus tradam.

(γ.) *Crassas Pontificiorum*, *Cochlaei*, *Huberi*, *Maimburgii*, *Län-*
dani calumnias explosas exhibuit *D. Mayerus* d. l. §. IV. p. 14.
(δ.) Explicatam ipsius *Historiam* praeterito anno dedit *Eccles.*
Kemberg. Praepositus, *D. I. H. Feustking*, in solidiori *Dissert.*
de Primo Sacerd. Marito Luther. Barthol. Bernardi, quae in hoc
quidem argumento est evolvenda.

Stein, (e) & alii *Luthero* priores, uxores duxerint: Malebat tamen mutato animo, quemadmodum aliquoties fatetur, in connubiorum honorem DEO potius praecipienti, Parentumque voluntati obsequi, quam resistere. Vtrum vero eam ob causam prae reliquis *Catharinam* suam elegerit, dum non adeo difficilem illam in connubiale pactum consensuram optime nosset, haut definire instituo.

§. XVI.

Congessit potissima e fide dignis documentis Theologus coetus nostri meritissimus, *D. Io. Fr. Mayerus in Comment. de Cath. Luth. Coniuge A. MDCXCVIII. Hamb. editae §. VIII. p. m. 19. Inexpectato & nulli fere amicorum suorum aperto consilio nuptias cum Catharina decrevit, celebravitque Lutherus, cum ipse iam XLII. annos natus esset, & sponsa eius e monasterio liberata Vitembergae degisset per biennium, nata iam annorum, si Erasmo fides, XXVI. Die itaque XIII. mensis Iunii A. MDXXV. Domin. S. S. Trinitatis, Vitemb. vesperi circa horam V. in aedibus Nic. Amsdorfii non longe a porta, quae ab arce nomen habet, dextram versus sitis, ad coenam vocatis Io. Bugenbaggio Pomerano, Luca Cranachio, pictore & Icto Apello Catharinam suam duxit Lutherus, celebratisque sponsaliis matrimoniali foedere impertinente benedictionem sacerdotalem Pomerano sibi eam iunxit, inopinato quidem, paucisque tum cognito, legitimo tamen, solemni, minimeque clandestino connubio. Ita monachus cum moniali se coniungebat, ita coniugii sanctimoniam suo exemplo approbabat, ita Pontificiorum convicia nihili iudicabat. Adamabat piam coniugem con-*

iux

(s.) Hic *Annam Mochaviam d. XVIII. Ian. MDXXII. uxorem duxit: Is MDXXI. Bartholomaei Feria omnium Clericorum primus vitae consortem accepit. Conf. p. 492. f. a. T. II. Altenb. Luth. Alibi de Melantbonis nuptiis, quas cum Catharina Crappia A. MDXX. contraxit, brevibus differam.*

iuxta & diligebat, beatum se tali coniuge dicebat, vehementer sibi de tori socia gratulatus, tenerrimoque eam amore complectebatur. Refert D. Mayerus l. c. §. XIV. p. m. 31. e Colloqu. Mens. sequentia: Ich habe meine Rätthe lieb / ja / ich habe sie lieber / denn mich selber / das ist gewislich war / ich wolte lieber sterben / denn daß sie und die Kinderlein solten sterben. Refert Idem ex Valent. Bavaro & Seckendorffo l. d. dicere eum solitum fuisse, se Catharinam suam nolle cum Galliae regno, aut Venetorum opibus commutare, (a.) quia sibi a DEO donata esset; (b.) quod, etsi non careret defectibus, minoribus tamen, quam aliae feminae, laboraret; & (c.) quod fidem coniugii servaret.

§. XVII.

Nati ex ea sunt, DEO dante, liberi VI., tres, puta, Filii, totidemque Filiae: Primum Ioannes natus A. MDXXVI. in quo non modo bene sperabant Parentes, sed & confidebant. Studia Iuridica tanto ardore tractabat, ut a Viniariensi primum, dein Prussiae Duce aulae Consiliarius insigniretur. Coniugem habebat Elisabetham, D. Casp. Crucigeri filiam, quae Catharinam ipsi peperit. Dein Elisabetha A. MDXXVII. prognata dicitur. Omiserunt hanc Conf. Theol. Vitemb. in Geneal. Lutherorum, P. IV. p. 16. forte, quoniam ne per anni quidem intervallum vivebat; nam decebat insequenti A. MDXXVIII. ut epitaphium loquitur:

Hic dormit Elisabeth, filiola Mart. Luth. A. MDXXVIII. 3. Aug:
Adhaec Magdalena A. MDXXIX. N. mortua eadem d. xx. Sept.
A. MDXLII. Epitaphium hunc in modum se habet:

Dormio cum sanctis hic Magdalena, Lutheri

Filia, & hoc strato tecta quiesco meo.

Filia mortis eram, peccati semine nata,

Sanguine sed vivo, CHRISTE, redempta Tuo.

Die Septembris XX. A. MDXLII. aetatis suae XIV.

Po-

Postea *Martinus*, A. MDXXXI. N. Theologiae studio & pietati maxime egregiam dedit operam. Contrahebat connubii foedus cum *Anna*, *Io. Heiligeri*, (*Heylinger*) Viri Vitembergensium Consularis gnata. Obiit d. III. Mart. A. C. MDXLV. prout sepulchralis lapidis inscriptio docet:

*Hac Martinus humo dormit post fata Lutherus,
Cui Pater Helias tertius ille fuit.*

Nomen idem cum Patre, eadem cum Patre manebat.

Nixa fides meritis, maxime CHRISTE, tuis.

Isque Heiligero natam de Consule ducens

Annam legitimo iunxit amore sibi &c.

Obiit anno CHRISTI MDLXV. die 3. Martii.

Adhuc *Paulus*, A. MDXXXII. N. Praeceptores habebat *Melanthonem* & *Vitum Ortelium Vinsbhemium*, Medic. D. & Professore. Amplectebatur artem Medicam, suadente & consentiente Patre. *Dedidi me artis Medicae studiis, & insit a quadam propensione incitatus, & invitatus doctrinae pulchritudine, & gravisima Patris auctoritate confirmatus, in quo si quid consecutus sum, quo serviam & prosim aliis, laetabor vel de successu felici, tanquam de uberrimo impensae operae fructu, & DEO gratias agam. Haecenus ipse Paulus in solempni oratione, Philippi Declamationibus p. 762. & 763. inserta. Medic. Doctoris gradum assumebat A. MDLVII., Professore in Acad. Ienensi agebat, vocatus inde a IO. FRIDERICO, Duce Sax. Goht. ad Archiatri munus, post IOACHIMI II. Elect. Brandenb., AVGVSTI & CHRISTIANII, Princ. Elect. Saxoniorum Archiater constituebatur. Conf. *Matth. Dresseri Orat. de vita & morte P. Lutheri*, A. MDXCIII. mense Martio dicta, cum *Progr. Acad. Lipsiensis*. Vitae consortem eligebat *Annam*, *Viti Varbecii* natam, suscipiebat ex ea amoris pignora VI. quorum nomina secundum ordinem, quem *Conf. Vitemb. Theol.* tenent, appono. Natus maximus *Paulus*, succedit *Io. Ernestus*, sequuntur *Io. Fridericus* & *Io. Ioachimus*, cum duabus filiabus, *Margaretha* & *Anna*. Amisit animam*

E

MDXCIII.

MDXCIII. d. VIII. Mart. Postrema liberorum *Margaretha*,
A. P. C. N. MDXXXIV. nascebatur, Vxor *Georgii de Kun-*
beim Senioris, Nobilis Borussi, Duci Borussiae a consiliis, &
sic deinceps. §. XVIII.

Ponebat in summis bonis, ut ad *Catharinam* redeam,
pietatem sinceram, aestimabat integritatem, fidem, bonos
mores, legebat divinum verbum, & ingenti amore prose-
quebatur maritum, ne suspicio vel occasio de proba eius-
dem vita conquerendi esset. Demortuo *Istebiae*. A. MDXLVI,
Luthero, se absente, aliove loco optimum & amantissimum
extinctum maritum dolebat, ac ultra anni spatium *Vitem-*
bergae adhuc vivebat, donec A. MDXLVII. Imperator, CA-
ROLVS V. urbe dedita potiretur, eaque rerum vicissitudi-
ne *Torgam* abiret. Redibat restituta pace *Vitembergam*, sua,
quae ibi habebat, bona & facultates vendebat, ac *Torgavi-*
am ob periculum morbi pestilentis concedebat atque demi-
grabat. In itinere casu inopinato, ex quo interiit, morbum
contrahebat gravem, atque religione in DEVM subnixa A.
MDLII. Spiritum emittebat. Scribebat programma eodem
anno, quo Pro-Rectoris munereungebatur, *Paulus Eberus*,
Professor Theologus, ipso Apostoli *Thomae* die, nomine
Acad. Vitembergensis, quae *Torgaviae*, quo certum ad tem-
pus ob contagionem translata fuerat, sedem habebat; in
quo *Catharinae a Bora* calamitates, fata & infelix mortis
genus recitabat, eoque Studiosorum Civium concionem ad
postremum ipsi persolvendum officium pro amore in *Lu-*
tberum Patrem invitabat. Denique inscriptionem in Matro-
nae honestissimae honorem subiungo:

A. MDLII. den 20. DECEMBER. ist in *Stttselig* entschlaffen
allhie zu *Torgau* / Herrn D. Martini Lutheri Seligen hin-
terlassen Witbe / *Catdarina* (*Catharina*) von *Borna*.
Vberiozem noticiam suppeditabunt *Conf. Theol. Vitemb.* Edi-
tores, doctrina cum summis Theologis comparandi, *Abr.*
Calovius, *Io. Meisnerus*, *Io. A. Quenstedius*, & *Io. Deutsch-*
mannus, P. IV. t. d. *Seckendorffius* in *Hist. Lutberanismi*.

§. XIX.

Perficiendi huius instituti causa adhuc multa restant, quae, ubi se occasio dabit, iusto ordine, modoque diligenter collecta persequar, &, ut cepi, in posterum tradam. Tantum quaedam subiiciam de libris ab eo scriptis & publice vulgatis, qui etiam nunc supersunt.

§. XX.

Labores eius dum corollarii vice sigillatim recensere volui, mox negotium illud deprehendi nimis arduum, aut minus necessarium. Adeoque mutato consilio paucos solum, quos vel seorsim, vel coniunctim conspexi, addam libros, non neglectis iis, qui post *Lutheri* mortem, nostris quoque temporibus lucem publicam viderunt. Prodiit vero (*Ienenses, Vitembergenses & Altenburgenses Tomos, Opera it. Latina* lubens praetereo,)

- | | |
|---|--|
| <i>Eiusdem Kirchen-Postill/ oder Auslegung der Sonn- und Festtäglichen Evangelien un Episteln durchs ganze Jahr in F. 1528. 1532. 1543. 1575. 1637. & ultimo cum Praepositi Berolinensis, D. Speneri praefatione, 1700.</i> | <i>Ei. Supplementum Epistolarum, continens CCLX epistolas, cum Dissert. Acad. Frideric. Prof. I. F. Buddei in 4. 1703.</i> |
| <i>Ei. Haus-Postill in F. 1663. 1680. 1692.</i> | <i>Ei. Enarratio Ps. LI. ex αὐτογράφῳ Biblioth. Rudolph. recensita in 4. 1701.</i> |
| <i>Ei. Comm. in Genesin in F. 1556.</i> | <i>Ei. Tract. de seruo arbitrio ad Erasmus, in 8. 1664.</i> |
| <i>Ei. Von der Juden Lügen und ihren Schembamphoras in 4.</i> | <i>Ei. De missa privata in 12.</i> |
| <i>Ei. Daß der freye Wille nichts sey/ wider Erasmus bewiesen in 4. 1611.</i> | <i>Ei. Sermon von der Betrachtung des Leydens CHRISTI, in 12. 1691.</i> |
| <i>Ei. Comm. in Ps. XV. in 8. 1540.</i> | <i>Ei. Enchiridion piarum precum in 12.</i> |
| | <i>Ei. Von der ewigen Versehung Gottes in 12. 1695.</i> |

Porro cruditus orbis conspexit alios ingenii foetus, scilicet

E 2

Ei. Apoph-

*Ei. Apophtegmata, oder Tisch-
Reden in F. 1567. 1568. 1603.
1700.*

*Ei. Bücher/Schriften und Pre-
digten / so in den bisher ge-
druckten Tomis nicht anzu-
treffen / mit einer Vorrede
L. I. F. Buddei in F. 1702.*

*Huc pertinent libri, Divi Lutheri
Phil. Salzmanni Singularia Lu-
theri, i. e. memoratu digni &
heroici sermones, in Lutheri
scriptis Germanicis existen-
tes in F. 1664.*

*Fabricii LL. Communes aus Lu-
theri deutschen Schriften
in 4. 1594. 1597.*

*Haberkornii Vindicatio libri Lu-
theri de seruo arbitrio in 4.
1668.*

Mencelli Pastorale Luth. in 4. 1604.

Conr. Portae Past. Lutheri in 4.

*Io. Matthesii Historie vom Leh-
re und Leben D. Lutheri in
4. 1621.*

*Ei. CLIX. Predigten über die
Epist. Petri in 4. 1523.*

*Ei. II. Predigten zu Schmalkal-
den gehalten in 4. 1537.*

*Lutheri & Melanthonis Propos.
Theologicas, cum confessione
de coena Domini in 8. 1558.*

§. XXI.

sensum probe exprimentes:

*Hoë Thadmasiander Lutherus,
X. Concion. expositus in 4. 1610.*

*Theurer Schatz für alle Gottes
Kinder/aus Lutheri Schrif-
ten durch Andr. Musculum*

*zusammen getragen/und mit
einer Vorrede wieder Ar-*

*nolds Kirchen- und Keyer-
Historie herausgegeben durch
Joach. Morgenweck in 4.
1701.*

*Verborgne und wiedergefun-
dene Schatz zur Glaubens-
uñ Communion-Ubung aus
D. Lutheri Schriften/in 12.
1683. Eöln an der Spree.*

§. XXII.

*Ad extremum monendus es, B. L. ad Lutheri expri-
mendas operas primos contulisse sumtus Barthol. Vogelium,
A. C. MDLXIX. d. XIII. Apr. demortuum. Testantur id,
qui circumferuntur, verlus:*

Primus curavit summi monumenta Lutheri

Sumtibus excudi publica scripta suis.

Quos alio loco sic redditos inveni:

Sumptibus hic primus Summi monumenta Lutheri

Edidit, aeterni munera magna DEI.

T A N T V M!

die
fal-
pos.
one
8.
es:
us,
610.
tes
iff-
m
mit
le-
er-
rch
4.
no
8-
us
2.
i-
,
1,

ULB Halle 3
004 853 92X




